

Ms. h. II, 162.
h. 43, 17.

X 187 9305



A. D.
DISPUTATIONEM INAUGURALEM
DE

IMMUTABILITATE JURIS PRIMOGENITURÆ,

EX
DECRETO ET AUTHORITYATE
ILLUSTRIS JCTOR. ORDINIS

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE
HONORES ET PRIVILEGIA RITE
CAPESSENDI,

Publico eruditorum examini submittit
CHRIST. LUDOVICUS STIGLIZ,
Lipsiensis,

Ad D. XVII. Aug. A. C. MDCXCIX.

H. L. C.



L I P S I Æ,

Literis CHRISTIANI SCHOLVINI.

L. 11.

11



Magni Nominis
VIRIS Illustri

MAGNIFICIS, SUMME REVER
EXCELLENTIS

DOMINO
HENRICO COCCEJO,

Serenissimi ac Potentissimi Electoris Bran-
denburgici Consiliario eidemque ab Aula Elect. Consiliis,
nec non Facultatis Juridicæ in Illustri Academia Viadrina
Ordinario & Professore Primario.

Antea

Summi Consilii Status Electoralis Palatini
& Collegii Revisorii Adfessori & in Academia Heidel-
berg. Decret. Pandect. & Jur. Gent.
P. P. Ordinario.



VIRIS

De amplissimis his & alis offi
Dominis Patronis & Doctoribus su

& Obsequii cultu profes

Dissertationem hanc devotæ & obse

Submisit offert

Christianus Ludovic



ominis Jctis,
s Illustribus

EVERENDO, AMPLISSIMIS,
ENTISSIMIS,

DOMINO
BARTHOLOMÆO
LEONHARDO SVEN-
DENDÖRFFERO,

Illustris Academiae Lipsiensis Seniori, Se-
niori Antecessori, & Decem-viro, Nationis Misnicæ,
Curiaæ Supremæ Provincialis, Facultatis Juridicæ Lipsiensis &
Capituli Martisburgensis Superioris Seniori, ut & St. Sixti
Decano eminentissimo.

VIRIS

& alis officiis meritissimis

ibus suis perpetuo Venerationis

cultu prosequendis

æ & obsequiosæ mentis testem

uisse offerre

Ludovicus Stigliz.



is Jcis

Libra

VENDO, AMPLISSIMIS

ASSIMIS

DOMINO

BARTHOLOMEO

LIONHARDO SVEN

LEIBERERO

Academice Lipsienfis

non unquam in

Capitulum

De uno

etiam

republicano Venetianis

republicano

republicano





INTROITUS,

I,



Inter omnes juris materias nulla tam late & copiose exposita est, quam Successionum: sed & nulla est, quæ magis exercuerit cum JCtos, tum ipsos Legislatores. Nulla denique toties & tam variè mutata ac in alias propè formas transfusa est, quam materia Successionum.

2. At verò ex ipsa hac variandi licentia satis apparet, Jura Successionum, exceptâ liberorum hereditate, non tam certis Juris Naturalis regulis definita, quam arbitrio legum civilium relicta esse; cum ea, quæ quodam Naturæ jure constituta sunt, certamque rationem naturalem habent, non ita temporibus variare, neque adeò à se quasi dissidere solent, uti in successioneibus usu venire videmus.

3. At hæ controversiæ ne comparandæ

A

quidem

quidem sunt cum causis successorii Regnorum,
Principatum ac Feudorum majorum; five re-
rum, quæ in disceptationem veniunt, momen-
ta, five personarum disceptantium authorita-
tem & potentiam, five denique decidendi dif-
ficultatem spectes. Hæc armis magis quàm ju-
diciis disceptantur, & tempestatum potius pro-
cellæ, quàm judiciorum contentiones videntur.
Harum regula adhuc in obscuro & ancipiti est;
quàm quæque pars magis ad rerum suarum,
quàm ad justitiæ amussim exigit, neque, ut o-
portebat, causam normæ juris, sed hanc causæ
applicat, eò confidentiùs, quò faciliùs est, in
tam ambigua obscuritate in utramque partem
rationes & patronos invenire. Hoc experien-
tiâ & repetitis sæpiùs gravissimorum Hispaniæ
suæ motuum exemplis edoctus, Mariana agno-
scit *tract. de Reb. Hisp. lib. 20. cap. 3. De regia, inqviens,*
successione magna disputatio, gravis, varia, multiplex, spi-
nosa, tantâque difficultate impedita, quantam hætenus ex-
plicare pro dignitate nemo potuit, quamvis multis ingeniis
& temporibus in ejus inquisitione consumtis.

4. Hujus Successionis præcipuum caput
est primogenitura, in regnis & principatibus
non rationibus arbitrariis, sed ipsa lege naturali
constituta. Quæ proinde, quàm immutabilis,
nec,

nec, cum semel inducta fuit, dispositionibus
possessorum in præjudicium ullius successoris
obnoxia fit, compendiò discutiam.

CAP. I.
De Principiis quæstionis
generalibus.

I.
Ostenfurus igitur, esse primogenituræ in re-
gnis & principatibus ac feudis majoribus
quoddam quasi jus sacrum ac immutabile, ne-
cesse mihi esse video, ut eò perveniam paulò
altius, & ab origine sua rem derivare, primumque
ostendere, cui juri adscribendum sit jus primogeni-
turæ.

2. Equidem, si primum Naturæ statum respici-
mus, nulla in publicis rebus quæstio de Successione
quadam legitima esse potest, quia eo jure imperium
cujusque civitatis origine sua apud ipsam civitatem &
populum existit, ubi de successione quæstio esse non
potest. Singulis verò in alios imperium naturâ datum
non est, cum primæva hæc natura omnes homines jure
æquales fecerit, & parem omnibus libertatem dederit.
princ. Inst. de libertin. Nec verò quisquam hominum
cum facultate imperandi, sed omnes æquè infantes à
Natura producuntur; nec illa ulli homini præ cæteris
imperium in reliquos concessit. Hoc igitur naturâ to-
tius civitatis seu populi in singulos est.

3. Populo igitur integrum est, hoc imperium su-
um à natura sibi concessum in paucos vel unum quo-

que conferre. Quæ vera ac indubia regnorum principatuumque origo naturalis est, neque alia, quæ probabili satis ratione subnixæ sit, excogitari potest. Equidem imago quædam regni est potestas patria; & initio ea fuit hominum longævitas, ut singulæ familiæ in civitatem ac populum peculiarem propagatione facile excreverint. Verùm, cum tum quoque singuli cives in suam familiam æque potestatem habuerint, quæ penitus diversa fuit à publica potestate imperii; aliæ verò civitates essent ex longè diversis peregrinisque familiis compositæ, non potest à potestate familiæ origo potestatis publicæ duci.

4. Non igitur naturali jure alia justa ac legitima ratio fuit regna principatusque condendi, quàm constitutio & consensus populi, jus suum in Regem seu Principem transferentis. Nam cum ab hoc jure nemo imperium in reliquos adeptus fuerit, non potest quisquam vi & armis occupare, quod jure ipsi non competit. Sed, cum semel regna ritè constituta sunt, possunt reges injurias suas, uti antè populi, persequi, atque ita jure victoriæ regna principatusque acquirere.

5. Constituitur verò hoc modo regnum vel in solam personam Regis electi, vel in ejus familiam. Priore casu cessare omnem successionem, & morte ac cum persona jus ejus intercidisse constat: altero verò, cum omnes, qui sunt de familia, nec simul sint, nec simul plures succedere possint, quæstionis est, quis, & quo ordine successio fiat?

6. Equidem, ea in dubio populi mens fuisse videtur, atque ita inter gentes accipitur, ut illi, qui de familia, quibus perpetuum impedimentum obstat, uti
sexus,

sexus, non admittantur ad successionem; quibus verò
temporarium, uti ætatis, ab imperio & successione ju-
ris non sint exclusi, sed administrationi interim per ali-
os prospiciatur. Restat ergo saltem, ut quæramus in-
ter hos capaces, quis ordo successionis observandus sit?

7. Uti verò in regnis ac principatibus nulla jure
Naturæ est successio, ita nec certus succedendi ordo:
Nam (1.) cum ipsa regna non sint immediatè à Natura,
ut antea expositum est, sed ex constitutione populi, non
potest ejus juris successio à Natura constituta videri,
quod ipsum non est à Natura. Quin (2.) etsi regna es-
sent à naturâ, non tamen imperium suâ naturâ ad he-
redes tranfiret, cum nihil sit, nisi potestas imperandi;
omnis autem facultas naturaliter personæ est, & cum
persona interit: nedum verò facultas imperandi.
Hæc enim (3.) nec à natura uni certo homini præ cæ-
teris data, nedum hereditario jure concessa est. *Sup. §. 2.*
& §. 4. Quin (4.) ne heredes quidem promiscuè natu-
rali ratione ejus capaces sunt, sed in sexum vel in æta-
tem successio incidere posset, quæ quidem non usum
rerum propriarum, at imperandi & Rempubl. tuendi,
gubernandi, administrandi facultatem excludunt. Uti
enim nihil difficilius est artibus imperandi, quarum fa-
cultas non promiscuè hominibus, sed paucis & ingenti-
bus animis vix concessa est; ita certarum personarum,
non hereditaria, illa qualitas, & ut iudicio personæ ad
imperium eligantur, non ut casu illud devolvatur, na-
turale est. Sed & (5.) neque officiorum Reipub. ne-
que dignitatum naturaliter est successio. De officiis
publicis constat: dignitates verò meritis tribuuntur,
quibus nihil personalius est. In regio itaque officio,

od in administratione justitiæ ac reipubl. consistit, & omnium officiorum fons est, & dignitas summa, naturaliratione hereditarium jus non obtinere constat. Accedit (6.) quòd ipsæ successiones privatæ heredum non ab immediata dispositione naturæ (cujus lege inter homines jus occupandi id, quod nullius, vel morte, aut voluntate domini desertum & vacuum fuit, constitutum erat) sed inde obtineant, quòd, occupatis jam rebus, in locum hujus juris primævi surroganda necessario fuerit successio liberorum: quæ solâ surrogatione efficitur, ut jus aliquod occupandi, omnibus hominibus commune, supersit: quæ proinde liberorum successio sola naturali juri merito adscribitur. Illustris D. Coccej. *Posit. J. Gent. X. Ejusque Disp. de Tutel. Illustr. Sect. II. §. 1. 2.* At verò in regnis & rebus publ. nunquam obtinuit hoc jus naturale occupandi ad usum suum res nullius, tum quia neque regna & imperia sunt naturâ nullius, sed populi; tum quia regna & principatus non pertinent ad usus privatorum, qui occupatione acquiruntur, sed ad tutelam publicam. Ergo nec successio, quæ surrogata est in locum juris occupandi, in regnis jure naturali sancita fuit.

8. Cùm itaque ex his similibusque rationibus appareat, regnorum & principatum successionem non esse ab ipsa Natura constitutam, superest, hanc esse à populi constitutione, qui, imperiò regnòque toti familiæ concessò, necessario certâ successionis serie familiam regno præesse voluit; cùm simul non possit. Ulterius ergo quæritur, quæ obtineat succedendi ratio & series, si de ea nihil in formula Concessionis dictum fuerit, cùm nec à natura definita illa sit. Id ergo porro ordine deducendum est. 9. Pri-

9. Primùm verò manifestum satis est, regnò principatu & simil. constitutis, uni tantùm delatum esse imperium, neque adeò plures, sed unum tantùm, succedere debere: res enim, (1.) quæ deferuntur, v. g. regnum, principatus, ducatus, &c. suis nominibus regimen expriment, cui unus præfici solet. Illustr. D. Coccej. in 7. Publ. c. 27. n. 7. (2.) Ipse populus, dum non plures, sed unum eligit, cui committat administrationem reipubl. satis declarat, quòd nec pluribus subesse velit, sed unius tantùm imperio præstare obedientiam. Et quamvis (3.) plures esse possint heredes ejus, in quem collatum est regimen, non tamen propterea simul plures quoque Successores in administratione regni admittuntur, cum neutiqum regna sub hereditate contineantur, uti supra dictum, & infra C. III. plenius demonstrabitur. Nec (4.) intelligi potest, eam fuisse populi mentem, ut regni vires divisionibus in infinitum enerventur, & tandem evanescant, cum è contrario vis unita fortior, & sola defendendo regno par sit. *Firmius enim censetur Regnum, si penes unum remanet, quam si portionibus inter plures filios divideretur.* Justin. *Histor. l. 21.*

10. Deinde id quoque in dubitationem cadere nequit, quòd liberi reliquis omnibus in successione præferendi sint; quia 1. horum naturalis sano sensu est successio, uti expositum est §. 7. in rat. 6. Eam igitur, quæ à natura est, & inter omnes gentes obtinet, intelligi necesse est, quoties alius ordo in constitutione regni non est expressus. Quin 2. cum collaterales jure naturæ nullam successionem habeant, liberi verò habeant, illi præ liberis nihil juris & prærogativæ ex ulla causa in succes-

successionibus sibi arrogare possunt: non ex constitutione populi, quâ nihil de ordine successionis dispositum, nedum agnatis præ liberis præcipui quicquam tributum est, ut supponimus: non etiam ex dispositione naturæ; quâ contrarium potius obtinet, & solis liberis, agnatis verò nullum, nedum præ liberis jus succedendi competit. 3. Cùm successiones ordine continuandæ veniant, liberi autem indistinctè proximi sint, quocunque sensu proximitas in jure accipiatur, nullus ordo, aut nulla ratio est, ut remotiores ante proximos succedant. 4. Hoc in omni jure, non obstantibus maximis & plurimis successionum variationibus, de quibus in *Introitu* §. 2. semper tamen immotum mansit, ut liberi collateralibus prælati, ipsorumque successio naturæ adscripta fuerit. *Nov. 18. in præfat.*

II. Inter liberos autem si quæeratur quis præferendus sit; non adeò ambiguum videtur, primogenitum reliquis potius esse: etsi enim videri possit, eum potius præferendum, qui imperio dignior est, id tamen ratio non patitur. Nam 1.) hæc contentio de dignitate inter fratres & ipsis foret ominosa & reipublicæ. Quis enim inter eos, qui cætera pares sunt, æquo animo ferret judicium, se indigniorem esse: quod semper etiam studio magis partium atque ita vi potius, quam ex veritate, agitaretur & decideretur; indeque nunquam non nova turbarum seges excreceret, ac in omni propè successionem Rempubl. armis implicari atque in discrimen certum adduci necesse foret. Et 2.) cùm imperium à populo in totam familiam successivo ordine collatum fuerit, nullâ habitâ ratione, quales futuri sint posterii, non amplius quæeritur, quis dignior sit, sed cui ex delatione populi jus potius quæsitum sit. 12. Di-

12. Dicendum igitur, primogenitum præferri, idque ex seqq. rationibus: 1.) Cùm unus tantùm ex concessione & constitutione populi imperium habere possit, uti demonstrat. §. 9. nullâ autem ratio sit, (remotâ illâ, quâ dignior præferendus, §. præced.) cur minor natu majori in successione præferatur, & 2.) inter æquales digniorem potiùs major ætas faciat, *l. 5. ff. de j. imm.* Cùm major ætas majori quoque prudentiâ censeatur esse prædita. Illustr. D. Coccej. *in Diss. de Jure B. & P. in Regn. Portug. Sect. 1. A. 1. q. 2.* 3.) Prior tempore potior hinc jure habendus, primogenitus verò statim in momento natiuitatis suæ hoc jus succedendi in locum patris acqvisiverit, ne utiqvam per agnationem ac superuentiam aliorum fratrum id illi poterit adimi. Et 4. demum unanimis Gentium consensus primogenito jus hoc singulare præ reliquis fratrum suorum tribuat; sic *ex lib. II. Paratipom. c. 21. v. 33.* Josaphat regna tradidit *Joram*, eò quòd esset primogenitus. Sic Perseum fratrem suum 5. annis minorem regni cupidum Demetrium ita fuisse allocutum refert *Liv. l. 10. hist. c. 9.* *Tua spei obstat ætas mea, obstat Gentium jus.* Et post. *C. 11. Cupit*, Demetrius sc., *regnum & quidem sceleratè cupit qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, juris Gentium.* Obstat Frater major, ad quem jure regnum pertinet. Et Justin. *l. 2. hist.* inquit, *Artemenes maximus natu ætatis privilegio regnum sibi vendicabat, quod jus & ordo nascendi natura ipsa gentibus dedit.* Id. *l. 16.* Ptolomæum contra jus Gentium minimo natu ex filiis regnum tradidisse asserit. In aliis regnis quomodo observetur, vide *in præfat. Tiraqvelli ad lib. de primogenitura n. 3. seqq.*

B

13. Hoc

13. Hoc porro jus primogenituræ cum ipso primogenito nascitur, ipsique in momento natiuitatis quæsitum est: ita tamen, ut actu successio non sequatur, nisi post mortem successoris, in omne jus, quod ille, cum moritur, habuit. Ex ipsa enim nascendi sorte hoc jus præcipuum oritur, adeoque statim ab eo tempore incipit, etsi effectum habere non possit, nisi parente mortuo.

14. Hinc verò ulterius sequitur, primogenitò ante parentem, adeoque ante casum successionis, & actu quæsitam dignitatem, mortuò, hoc jus primogenituræ naturali ratione cum omni sua qualitate transire & devolvi ad ejus filium, non ad ejus fratrem: cum enim jure naturali liberi successionis capaces succedant in omne jus defuncti, etiam in hoc jus primogenituræ filius primogeniti natu major, eoque juris hujus capax. Neque obstant rationes, quæ ab ætate, quæ personalissima, & alii incommunicabilis est, sumuntur, quia non de ætate agitur, sed de jure & dignitate semel per ætatem quæsitâ in filios transferendâ.

15. Estque hoc principium, quo nititur tota successio linealis, in qua non inspicitur alia proximitas, quam linearum, quas singuli fratrum ordiuntur: 2. F. 50. ita ut primogenitorum primogeniti in infinitum primam lineam constituent, quâ extinctâ is, qui in proxima linea primogenitus, cum suis primogenitis alteram, & sic porro in infinitum. Eademque ratione nititur jus repræsentationis in jure communi. Illustr. D. Coccej. in Diss. de J. B. & P. in Regn. Portugall. Sect. 1. Art. 11. q. 1.

16. Objicit quidem Goldastus de Major. l. 3. c. 3. si sta-

si statuere velimus, esse jus aliquod acquisitum jam tempore nativitatis, suspensum tamen in eventum ultimi possessoris, tunc istud absurdi exinde sequi, omnes dici posse ex familia habere jus primogenituræ, dum suspensivam habeant succedendi spem. Verum Resp. Habent omnes suo sensu jus primogenituræ, qui spem successionis habent, quia nemo succedere potest, nisi vi primogenituræ; sed non eodem gradu ac tempore: est enim in hoc jure linearum primum, deinde in lineis graduum certa series quæ succeditur. Sup §. II. Unde unicuique quidem jus primogenituræ competit, verum inest ei conditio; *si lineæ vel gradu potiores defecerint*: adeo ut pure ille solus habere dicatur jus primogenituræ, qui reliquos antecedit, isque unus omnes reliquos à successionem excludat, sive per sui nativitatem jus acquisiverit, sive illud per patris genituram in se per successionem legitimam translatus sit. Nec obstat legatorum jus, quò ante existentem conditionem legati illud non transmittitur in alium. *l. un. §. 7. C. de caduc. toll. l. 65. §. 1. de Leg. 1.*; est enim positivi juris, & ibidem magis personam legatarii respectisse censetur testator, quam ejus familiam.

17. Duplicem quidem statuit primogenituram dictus Goldast. *d. l. l. 2. c. 5. n. 45. 1.*) naturalem, quæ quisque annis alium superans in familia dicitur primogenitus, & 2.) legitimam, quæ non ex annorum numero æstimatur, sed ex lege naturæ, vel consuetudine lineæ primi filii inhæret; quotiescunque verò de jure primogenituræ sermo est, semper posterior subintelligitur: Verum hæc posterior non tam est primogenitura, quam jus primogenituræ ad posteros transmissum: Eo jure

igitur non singularis persona natu majoris sc. filii tantum comprehenditur, sed in genere omnes etiam ex illo nati primigenii; jus quippe hoc perpetuum est, nec in uno & primo actu successionis majoris fratris consumitur. Sicque est jus præcipuum, quod primigenii filii in infinitum ante cæteros fratres accipiunt. Ludov. de Molina *de Primog. Hisp. Orig. l. 1. c. 1. n. 5.* Tiraqvell. *in præfat. alleg. lib.*

CAP. II.

De potestate primi Acqvirentis circa jus primogenituræ.

I.

IN ipsa primi acqvirentis persona quidem verum est, quod nec ille, nedum successores ejus, jus regni vel primogenituræ extra familiam alienare possit. 1.) Quia jus, quod soli familiæ constitutum est, eiqve cohæret, extra familiam abire neqvit, exemplo fideicommissi familiæ &c. Tale autem est jus hujus regni ad certam familiam delati. 2.) Primus acqvirens plus in alios transferre neqvit, quam ipse accepit; *l. 31. princ. ff. de acqvir. rer. domin.* Accepit autem tantum jus in suam familiam transmittendi. Non ergo in aliam potest. 3.) Extincta familia electa imperium reverti ad populum constat, quo patet, subjectum hujus juris unice esse familiam, nec extra illam id consistere posse, sed cum ea quoque perire. 4.) Populus, qui imperium suum à se non transtulit, adeoque hæctenus sibi reservavit. Non potest igitur vel invito obtrudi extranea potestas, vel hæc jure imperium obtinere, nisi populo tacite saltim suffragante.

2. Ne-

2. Neque tantum id verum est de successione post mortem suam, & alienatione perpetua, sed & de temporaria proprii juris, ita ut nec suum imperium ad dies vitæ extra familiam concedere possit: Cum enim omne jus suum ex illa constitutione & pacto populi habeat; quo id restrictum est expressè ad certam familiam, ultra fines hujus constitutionis & pacti non magis quam privatus agere aliquid potest.

3. Obstare videntur exempla plurima alienatorum regnorum; de quibus vide Grotium *de J. B. & P. l. 1. cap. 3. §. 8. & lib. 2. cap. 6.* & Conring. *de Finib. Imper. cap. 19.*

4. Responsio ad ea est, omnia illa nisi quaedam saltem tacita approbatione populi: illa enim colligitur 1.) ex eo, quod non contradixit. 2.) ex consuetudine, si solitus sit alienare tacente populo, ut Reges Orientis in primis soliti fuerant. Nedum 3.) si ea conditione collatum sit, ut alienare possit, uti *in 2. F. 48.* Denique ex titulo quoque illa potestas apparet, uti si titulo emti, donati, dotis, &c. acceperit, qui sunt tituli, quibus alienatio rei continetur.

5. At verò intra familiam quò minus primus acquirens formam legesque successioni dare possit, nihil obstat. Neque enim vel populus id impedire potest, neque posterius possunt. Non populus, quia pacto vel lege constitutionis hæc facultas ei adempta, neque hactenus restricta fuit. Non potest autem is, qui jus à se in alterum transtulit, eum impedire, quò minus de eo disponat, nisi eam legem in concessione vel pacto dixerit. *l. 48. ff. de pact.* Non esse autem aliam legem concessioni dictam, quam ne extra familiam alienaretur, supponimus. Nec posterius possunt, quia ipsis pri-

mus acqvirens neutiquam est obligatus, sed contra omne illi jus suum ex facto & beneficio primi acqvirentis consequuntur, *l. 3. inf. ff. de Interd. & releg.* Ergo non alia lege quam qua ille beneficium hoc suum ipsis quaesitum voluit: ei enim ille legem dicere potest. *l. 20. §. 1. ff. de pact. dot.*

6. Id quod factum deprehendimus à Davide in determinando successore in regno suo, qui cum primus ex sua familia in solium regium elatus erat, non primogenitum, sed Salomonem, prout illi liberum erat disponere, in regno successorem nominavit. *1. Reg. 1. vers. 5. & seqq.* Quod imitatus postea est nepos ipsius Rehoboamus, qui praeteritis majoribus & ex alio matrimonio natis liberis, Albiam Absalomi filium, favore potius matris, atque adeo eadem prope ratione, qua in Persis Xerxes ex Atossa, Cyri filia, natus Artabazani, majori fratri, quemadmodum ex Herodoto refert Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 29.* praelatus fuit, *2. Paralip. 11. vers. 19. 20. 23.* Etsi enim Rehoboamus quoque primus acqvirens regni Judaici quodammodo dici poterit, quia deficiente à rege populo tribus Judae quasi nova electione eum receperit, magis tamen id tribui videtur amoris, quo matrem Abiae reliquis conjugibus praeferebat. *d. c. 11. v. 21.*

CAP. III.

De reliquorum, qui à primo acqvirente descendunt, jure circa primogenituram.

I.

Primo acqvirente mortuo, non potest forma & series

ries primogenituræ, prout Cap. I. exposita atqve constituta est, ampliùs mutari, neqve principatum possessores illud jus aliis ulla ratione intervertere.

2. Probatur hoc 1.) quia primus acqvirens quidem non jus tantum temporarium et ad vitam suam restrictum, sed jus quoque transmittendi, in totam familiam suam ex pacto concessionis nactus est, de quo proinde intra familiam suam disponere potest; at reliquorum omnium jus naturâ suâ restrictum est ad vitam eorum, adeoqve necessariò cum iis interit, nec ulla dispositio post mortem de eo valere potest; Illa restrictio infertur ex eo, quod expressè omnibus de familia successivè jus ex pacto primi acqvirentis & concedentis datum quæsitumque fuerit: Quod autem jus omnibus successivè datum est, non potest singulis nisi quoad vitam datum intelligi. Uti enim, si quid pluribus in solidum simul datum fuerit, illique simul concurrant, necessariò partes rei concursu fiunt, & res inter concurrentes sic dividenda est, ut cuique tantum pars ejus tribuatur. *l. 15. §. 18. l. 40. §. fin. ff. de damn. inf. l. 9. pr. ff. de Usufr. accresc.* Ita si concurrant in re successivè, ut alter post alterum accipiat, necessariò res inter eos per partes temporis divisâ est, nec quisquam jus nisi pro suo tempore habet, post mortem ergo nihil de ea disponere potest. 2. Quia hoc jus toti familiæ providentiâ primi acqvirentis constitutum vim fideicommissi, quod familiæ relictum est, habet; non enim omnes immediatè jus ex pacto habent, sed solus primus acqvirens; reliqui per alios intermedios accipiunt; ita ut singuli possessores illud post mortem suam proximè sequenti restituere teneantur, quod fit per modum fideicommissi, quippe quod etiam
am

am pactis & actibus inter vivos, moribus & naturali
quoque ratione constitui potest. Knipschild. *de fidei-*
comm. fam. cap. 6. num. 31. & pass. Hoc igitur fideicom-
missum pacto Majorum quaesitum nemini auferri po-
test. 3. Hinc nec succedunt posterius de familia proxime
defuncto, sed soli primo acqvirenti, ex cujus dispositio-
ne & beneficio unice rem capiunt; non vero ex beneficio
defuncti, qui tenetur ut aes alienum praestare, de quo
neutiquam ille disponere potest. *l. 67. princ. & §. 1. ff.*
de legat. 2. Neque 4. successor tenetur praestare fa-
ctum defuncti in re, quam non habet a defuncto, nec
ejus sed alterius beneficio. *d. l. 3. ff. de Interdict.* Sed &
5. primus acqvirens non fuit quidem obligatus posteris
suis, qui merum beneficium ab eo accipiunt; at omnes
de familia obligati sunt primo acqvirenti & ex ejus pacto
& dispositione, cujus proinde factum omnes praestare,
& restituere principatum successoribus ex lege pacti tenen-
tur. Denique 6. jus primogeniturae multo fortius est,
quam nudum fidei commissum familiae: hoc enim here-
ditati detrahitur, ejusque pars fuit; jus primogeniturae
ad imperium & Rempubl. pertinet, cui nihil cum here-
ditate commune est.

3. Hinc porro sequitur, quod filius quoque, etsi he-
res patris sit, non tamen a primogenitura excludi possit,
nec in eo factum patris praestare teneatur. Etsi enim
regula ista, quod heres factum defuncti praestare tene-
atur, satis generalis sit; non tamen obtinet, quando quis
ex alia, atque ita ex duplici causa succedit. Ita enim agna-
tus non tenetur praestare factum ultimo defuncti ra-
tione feudi, quia ex alio capite in feudum succedit, sc. ju-
re primi acqvirentis; ex alio in hereditate, sc. beneficio
novissime defuncti. *2. F. 45. & 2. F. 51. §. filius.*

4. Nec

4. Nec dices, filium tamen teneri factum patris ratione feudi præstare, etsi in illo non minùs succedat primo acqvirenti, *dd. loc.* Nam hoc ideò fit, quia jure feudali filius in feudis quoque habetur pro herede patris. Videtextus *in Hypomnem. Juris Feudal.* Illustr. D. Coccej. *tit. 2. §. 20. & s. allegatos*, adeò ut feudum filii habeatur pro parte hereditatis paternæ, nec alterum sine altero acqviri vel repudiari possit. *dd. ll.*

5. Id verò totum ex speciali hypothefi juris feudalis est, unde à quibusdam feuda filiorum non habentur pro meris feudis ex pacto & providentia, sed pro hereditariis mixtis: nisi liberi expressè quoque comprehensi investiturâ fuerint. v. g. *Tibi & liberis, generi, posteris*, quo casu liberi quoque non tenentur præstare factum patris, qui jam nec jure feudali succedunt ut heredes, sed ex speciali pacto vel dispositione. *alleg. Hypomnem. Jur. Feud. tit. 2. §. 19. 20. 21. & tit. 5. §. 35. & seqq.*

6. Omnium minimè autem hoc applicari potest ad jus primogenituræ in imperiis & territoriis: id enim extra omnes hereditatis rationes est, nec ex hujus juris exercitio tenetur ad ullum defuncti factum; etsi ejus hereditatem adierit, cum qua nihil commune est juri imperii; sed semper ex alia causa in imperio, ex alia in hereditate defuncti succeditur. *arg. textus in 2. F. 45. & ib. d. t.*

7. An verò, dum vivit primogenitus, successione abstinere & alii eam concedere potest? Possè omninò videtur, cum nemini præjudicium & injuria fiat; filii enim mortuo patre nihilominus vindicare successione possunt. Illustr. D. Coccej. *J. Publ. c. 27. §. 9.* Equidem Rudolphi, qui fuit Ludovici Bavari frater, filius natus major, Adolfus, resignavit non tantùm Electoratum fratri Rudolfo, sed & hoc mortuo, successit alter frater

C

Ruper-

Rupertus, etsi Adolfus filium, Rupertum juniorem deinde Regem Romanorum, reliquisset. vid. *Tabb. Gen. Tubing.* Verum hoc hujus consensu factum fuit, uti eodem tempore tres illi Ruperti, præsenior, senior ac junior vulgò dicti, pleraque publica negotia communi consensu tractarunt; quemadmodum etiam communi authoritate Academiam Heidelbergensem fundarunt. Simile exemplum est in Johanne primogenito, qui Electoratum Brandenburg. fratri suo Friderico Secundo cessit. vid. *cit. Tabb.*

8. Obstare quidem videtur huic sententiæ, I.) Quòd jus primogenituræ obtineat ob utilitatem publicam, & in feudis majoribus, in quibus prohibita est inter plures fratres divisio; ad conservandum familiæ illustriorem splendorem, indeque insigne hoc jus primum nato concessum est; minimè verò publicè & totius familiæ interesse videtur, ut renunciare imperio uni liberum fiat. 2.) Singularem planè dignitatem esse, ex jure hoc præcipuo succedere, quam, utpote extra commercium, cedere velle, natura hujus juris non admittit. 3.) Jus primogenituræ, eo quo supra demonstratum est modo, à natura esse: sanctè ergo à quovis retinendum & observandum est. 4.) Denique ætatis jus singulare esse, ipsa verò ætas, uti itidem dictum, res est omnium personalissima.

9. Ad hæc respondeo, & ad primum quidem non cum Tiraquello *cit. lib. quest. 24. num. 19.* quasi hoc jus in regnis, principatibus & aliis feudis majoribus in favorem privatum seu cujusvis regnum principatumque possidentis principaliter, uti loquitur, secundariò verò demum in publicam & communem plurium utilitatem introductum sit: Sed quòd facta etiam renun-

Rupertus

C

ciatio-

ciatione juris hujus à primogenito, minimè tamen utilitas publica intervertatur, nec splendor familiæ intereat, cum sufficiat, in favorem extranei, & qui extra familiam est, cedi non posse, nec in præjudicium liberorum renunciationem talem fieri. v. §. *seqv.* Cætera verò per eam neque utilitas publica pervertitur, quia nulla divisio fit, neque familiæ, quia successor quoque de familia est. Ad 2. dum; Non est quidem dignitas hæc in commercio, ita ut pro lubitu de ea disponere aut cuilibet eam cedere quis possit, salva tamen illa, à suscipienda eadem abstinere primum natus potest, modo intra terminos primæ constitutionis populi vel investituræ legitimus istam obtineat successor. *supr. C. 2. §. 1. & 2.* Ad 3. tiam rationem oppositam resp. Jus primogenituræ quoad facultatem ejus recipiendæ vel repudiandæ juris non præceptivi esse, sed concessivi; quod cum sit facultas cuilibet competens agendi vel non agendi, dubium non est, quin quisque tali suo juri renunciare possit. Ad 4. tam rationem eam, quam supra §. 14. Cap. 1. dedimus, responsionem repetimus.

10. Ista verò cessio, cum abstinet à successione dum vivit primogenitus, nulla ratione præjudicio esse potest liberis, nepotibus, aut aliis post cedentem legitimis successoribus, ut excludantur à jure succedendi sibi competente, utpote quod habent non à defuncto, sed lineæ jure, adeoque publico: namque ad omnes ex familia primi acqvirentis procedentes jus hoc defertur, quia sua natura perpetuum intra familiam jus est. Molina *d. lib. 1. c. 6. n. 45.* & supra *Cap. 1. §. 17.* Nihil huc facit Esavi exemplum: Longè alia enim est natura illius juris primogenituræ, quod viguit apud populum Judaicum,

daicum, ac hujus, de quo in præsentî Dissertatione sermo est: Illud enim non constitit in regni familiæ delati successione, sed in certis prærogativis & juribus privatis familiæ, quibus quisque renunciare potest: Neque illud soli lineæ primogeniti inhærebat, sed & ex secundi vel tertii fratris hereditate cujusvis filius primò natus præcipui quicquam capiebat, quæ omnia differunt à successione in regnis & principatibus, &c. quin tamen si horum quoque consensus adfit, remotiori jus succedendi dari possit, ambigendum non est, uti dictum §. hujus Cap. 7.

II. Nec alia exempla desunt quidem, quod minores natu prælati fuerint; verùm in hujusmodi controversiis magnorum Regum ac Principum vis sæpè magis quàm jus valuit; & adeò rarò feliciter id successit, ut plerumque gravissimorum bellorum diuturnitate, & calamitatum maximarum cumulo injuria illa pensata & castigata fuerit: uti in Anglia ex hac causa lis orta inter rubram & albam rosam, seu inter Eboracenses & Lancastrios, sopiri antè non potuit, quàm utraqve familia in Henrico VII. per nuptias, & inde in ejus posteris iterum confusa fuerit. De aliis casibus vid. Bodin. *de Republ. lib. 6. cap. 5.*

12. Neque facienda est, uti communiter fit, vid. Grot. *de J. B. & P. l. 2. cap. 7. §. 25. & seqq.* distinctio inter regna patrimonialia & quæ non sunt in patrimonio, inque illis respiciendum, quid ab ultimo possessore dictum aut de successore dispositum. Nulla enim planè regna sunt in patrimonio aut dominio, idque sequentes obrationes:

13. 1.) Dominium, & quicquid in patrimonio alicujus est, domini causâ est, & ad ejus commodum ac utilitatem

tatem pertinet; Imperium verò non regnantis gratiã
sed subditorum causa constitutum est, dum curare de-
bet princeps, ut suum cuique tribuatur, delictorum co-
ercitio sit ac executio pœnarum, & ita administrando
justitiam defendendoqve Rempubl. contra invasiones
& machinationes exterorum officio suo, cujus hæ par-
tes sunt, rectè fungatur. Innuit optimè hanc summam
differentiam inter imperium & dominium *l. 215. ff. de V.
s. Qvin 2.)* dominium ipsum jus est utendi pro lubitu,
quod & abutendi facultatem includit, *l. 21. C. Mandati.*
liberum enim cuique est, quã jus spectatur, propria bo-
na sua privata quavis ratione donare, perdere ac diffi-
pare, concessio nulli alteri jure hoc prohibendi, cum
quivis tantum facultatem habeat de suo disponendi. Ve-
rum imperium non unius privati est, sed summæ pote-
stati constitutum, ad tuendum conservandumque unice,
cujus sanctimonix quid magis obstat, quam abusus?
Inde 3.) nec sibi aliquid acquirit princeps, sed Reipublicæ,
cujus causam gerit; illius enim nomine repetit, quod
Reipubl. fuit, ei que injuriã ablatum est; ei vindicat inju-
rias, salvamque & rectam conservat regni gloriam. Neu-
tiqvam etiam 4.) alienare quid potest, absque consen-
su populi, quod non ad privata sua bona sed ad regnum
pertineat. Constituitur princeps à populo, ut admi-
nistret justitiam defendatque rempubl. non ut bona
reipubl. vel ipsum populum ut propria bona sibi vindi-
cet. Hinc facile patet, non nisi ejus, cujus propria sunt,
scil. Reipubl. alienari posse consensu; consensus verò il-
le vel expressus est, vel tacitus quoque esse potest, qui
apparet ex conniventia & tacita approbatione alienatio-
nis: etiam ex titulo acquisitionis & concessionis, v. g.
titulo emti, donati, dotis &c. qui tituli per se non domi-

nium privatum ejus rei, quæ alienatur, inferunt, aut patrimonium, sed alienandi modum: acquiritur enim his acquirendi regni modis legitimum imperium, non privatum patrimonium. Denique 5.) si admitteremus distinctionem hanc in statu Monarchico, eadem utique esset etiam in statu Aristocratico, nullâ obstante ratione contrariâ, id quod tamen ratio non admittit, ut imperium aliquod sit in dominio & patrimonio Senatus: hoc ipso enim desineret esse imperium, & fieret res privata. Conf. Illustr. D. Coccej. *J. Publ. c. IX. §. 17. & Disput. de J. B. & P. in Regno Portugall. Sect. 1. Art. 1. Q. 1.*

14. Proinde ex hætenus dictis porro sequitur, nullam esse suâ naturâ testamentorum vim ac efficaciam ultimorum possessorum circa regna principatusque, cum dispositio talis sit effectus privati dominii & ex liberrima cuivis competente facultate disponendi resultans. Et cum omne quoque, quod circa testamenta dispositum, juris positivi sit, nec testamenti factio ullo modo juris naturalis dici possit aut probari; Illustr. D. Coccej. *Pos. Jur. Gent. IX.* ne utique exinde summam potestatem obligari posse asserendum; imò hæc ipsa testamenti factio, in casu, quo naturalis tantum successio obtinet, introducta, supra autem *C. I. §. 1. seqq.* demonstratum, in regnis non vigere successionem naturalem. Quin nec, quod sæpius dictum, à beneficio ultimi defuncti, sed jure à primo acquirente quæsito ad præsentem successorem regnum delatum. Quotquot verò in contrarium à Grotio aliisque afferuntur exempla, vel consensu expresso aut tacito populi agnatorumve, vel saltem conniventia nituntur, vel vi valuerunt, vel consuetudine obtinebant; neque enim jure suo reges ita disponere potuerunt. Sicuti & in quibusdam majoribus feudis

dis & Germaniæ familiis illustrioribus contrarium per
consuetudinem introductum est.

15. In tantum verò nullius momenti est ultimi
possessoris regni majorumque feudorum mutatio ju-
ris primogenituræ, ut nec in feudis majoribus, licet do-
mini directi consensus accesserit, quæpiam effectum
habere possit. Namque dominus directus sibi præjudi-
care poterit, non tamen alterius & agnatorum juri tam
grave præjudicium afferre illi erit licitum. Equidem
hoc casu non de translato sed transferendo demum jure
agi videtur, cum sola spes succedendi successoribus re-
lictæ esse dicatur. Tiraquell. *cit. lib. quæst. 22.* quin verò
jus alteri nondum quæsitum dominus directus auferre
possit, vix dubium erit. Verum negamus, hoc ipsum
jus, quod spes dicitur, esse merum jus quærendum, cum
contineat jus transitorium ad heredes, à quo interim
pars alterâ parte invitâ recedere nequit, sed eventum
expectare tenetur. Vid. *Cap. I. §. 13. 14.* Licet itaque
spes saltim dicatur, id tamen ideò fit, quia nondum ipsa
obligatio præstandi debitum nata est, non quasi nulla in-
terim obligatio sit; est enim interim obligatio expectan-
di eventus. Ita, cum filius gignitur, statim pater obliga-
tus est successionem ipsi relinquere in tempus mortis,
nec interim id mutare potest, quæ deinde tempore
mortis ei ex jure, jam nativitatis momento quæsito, a-
ctu defertur. Ipsa hæc spes autem ne quidem à dire-
cto domino adimi poterit. *l. 10. C. de Testam.* Plura vid.
ap. Reinking. *de Regim. Sec. & Eccles. l. 1. cl. IV. c. 17. §. 43.*
67. & seqq. Ludov. de Molin. *cit. lib. 1. c. 8. n. 3. seqq.*

16. Hactenus dicta & asserta limitanda esse pu-
tat Tiraquellus *cit. lib. quæst. 21.* & duobus in casibus pri-
mogeniti exclusionem à patre factam pro valida decla-
rat.

rat. Primus est, si filius eâ, quæ par esset, reverentia ac obedientia officio, quo patri tenebatur, non fuerit ritè functus, adeoque ingratitude causam inciderit, quæ aliàs pro legitima causa exheredandi liberos legibus judicatur. Alter est, si majoris prudentiæ ac aptitudinis ad suscipienda regni principatusve &c. gubernacula dederit signa secundò genitus, quàm is, quem major ætas tantùm commendaret, quippe commodum Reipublicæ in hac re versari, contra quod jus primùm nati præcipuum haud videtur interpretandum. Atque ad hanc suam limitationem firmiùs stabiliendam adducit exempla Jacobi, Rubeno jus primogenituræ adimentis, *Gen. 49.* Salomonis, fratri majori Adoniæ prælati, *I. Reg. c. 1.* item Rehabeami filium Abiam, licet juniorem, in regno successorem declarantis, *II. Paralip. c. 11.* & alia multa ex variorum regnorum historiis.

17. At utraqve limitatio nulla est, & falso ullo in casu patri tribuitur disponendi libertas. Rectè quidem à patre exheredari possunt liberi intuitu privatorum bonorum, in quæ plenam ac absolutam habet potestatem, minimè verò respectu eorum, quæ acquisita sunt & transferuntur jure familiæ, & quæ nec liberrimæ ejus dispositioni subsunt. *I. F. 8.* & uti testamenta nihil planè valent in regnis, ut demonstratum §. 13. ita nec dispositio circa exheredandos vel admittendos ad regnum liberos quicquam operari potest. Filio ergo nihil nocebit in successione in bona non à beneficio patris delata, licet peccet omittendo debitam patri obedientiam & reverentiam, etsi pater in pœnam non præstiti officii adimere jus successionis illi vellet. Nec prudentior assumendus, cum consentiente in unam familiam populo, nec certi quid circa successionem disponente, ordinem sequi vult

vult naturalem quodammodo, & sic admittetur inde quoque
minus prudens, si tangat illum ordo. Ut taceam, neminem
judicem esse posse, nec quempiam filiorum altero se stupidi-
orem publicè declarari sine gravi armorum motu permit-
tet, *C. I. §. II.* Jacobi exemplum huc non quadrat, cum de
privatis bonis agat. In reliquis consensus populi agnatorum-
vè adest, quo cooperante validi quid disponi à rege potest.
Vid. supr. §. II.

18. Sed nec excludi potest filius à jure primogenituræ
propter vitium aut defectum patris, quo non quidem totius
juris incapax fuit, sed tantum administrationis, uti si fuerit
mutus, cæcus, &c. Quamvis enim ipse succedere nequeat,
Vultej. de feud. lib. I. c. 9. n. 64. filius tamen ejus succedit, non
aliter ac si pater ante susceptam successionem esset præmor-
tuus. Uti enim *C. I. §. 14.* demonstratum est, à patre devolvi
jus succedendi in filium, etiam si actu successionem morte
impeditus consequi haud potuerit, aut ea dignitas in illum
delata fuerit, ita idem est, si pater vitio aliquo impeditus à
successione fuerit. Paria namque sunt in successione, in re-
rum natura non esse; & esse quidem, sed ad successionem
non admitti, *a. l. 1. §. 8. de B. P. contr. tabb. l. 4. §. 2. ff. de Bon. li-
bert.* Prout igitur illo in casu mors patris nihil nocet filio, ita
nec inhabilitas patris in præsentis casu, nec propterea funda-
tum & quæsitum illorum jus tempore nativitatis corrumpit;
non enim patri filii succedunt, sed perinde primo acqviren-
ti, ac si singulariter vocati & nominati essent, qui verò pro-
prio jure veniunt, illis ne utique patris vitium obesse pote-
rit, *l. 7. §. 2. de Senat. l. 3. de Interdict. & releg.* Unde non obstat,
quòd vivo non succedatur; pater autem vivus adhuc sit:
Nam resp. id secus esse in feudis & in omnibus causis, ubi suc-
ceditur primo acqvirenti, uti in regnis &c. in iis omnibus
enim sufficit anteriorem quocunque modo deficere. *2. F. II.*

D

vers.



ver^o *His verò deficientibus.* Nec obstat, quòd plus juris ipse habere nequeat, quàm pater habuit. *l. 160. §. 2. de R. J. l. 175. §. 1. eod.* Nam non succedit in jus patris, sed primi acqvirentis. Quod tamen tunc tantùm verum est, quando parens per casum accidentalem excluditur, v. g. quod mutus & surdus fit; secus si impedimentum sit substantiale, v. g. si fit fœmina; spurius &c. illi enim ab initio comprehensi non sunt, adeoque cum omni posteritate sua excluduntur, nisi aliud constitutum sit.

19. Quid si nesciatur, quis sit primogenitus, uti si incuriã obstetricum, vel dum de parientis periculo solliciti sunt, gemellis editis non satis observatum sit, quis prior editus fuerit, ane sublatum censetur jus primogenituræ, & ane uterque simul excludendus à primogenitura? Minimè. Certum namque est, alterutri jus hoc competere, nemo enim est alius, qui succedere queat, non tertio genitus, qui summã injuriã antegenitis præferretur, & qui jus succedendi non habet, donec majores ætate vivunt, quin nimia foret injuria, dum gemellorum tota familia excluderetur. Uterque ergo pro indiviso succedit in imperio, cum nec sorti, nec conjecturis fortitudinis & majoris formositatis, nec decisioni procerum aut parentum resolutio dubii committi possit. Neque ex meris conjecturis infertur jus naturæ, nec ullo recensitorum medio gemellorum alterutri jus quæsitum auferri potest. Soli ergo succedunt tanquam potiores omnibus, simul quoque, quia ob paritatem invicem præferri non possunt, nullus enim præ alio jus præcipuum ostendere potest. Nec contradicit natura primogenituræ, quæ uni tantùm competere videtur. Primus enim duplici sensu dicitur, tum quem nemo præcedit, tum qui omnes præcedit; uterque rectè primus dicitur, licet alius par sit, qui cum illo pro indiviso imperiũ teneat. Nec invicem faciunt injuriam, cum neuter jus potius adeoque injuriam contra alium docere queat.

20. Admisso ergo utroque ad imperium, terius, cujus demum liberi succedant? Et dubium non est, quin si alteruter adhuc vivat, illi soli, quod cum fratre gemello olim habuit regnum, ejus administratio competat; at, & hoc mortuo, filius ille succedendi jus habet, qui ex alterutro primùm natus est; reliquos enim ex fratre altero natos filius ille ætate antecedit, jusque, quod in unum, si de tempore ætatis constet, tantùm cadere potest, statim nativitate acquirit, & à patre suo, quo nemo apparuit anterior, in illum derivatur.

21. Quid si exectus sit filius, an & tunc nocet illi, non prodiisse in lucem modo ordinario? Negandum utique: Nihil enim ad rem facit, natum an exectum dicas: primogenitus enim reliquos antecedit, quia primus editus, non propter modum quo in lucem venit. Dum enim ante alios in mundo existere incipit, hoc ipso jus præ reliquis habet: idem ergo obtinet, si gemelli matris mortuæ ventre aperto eximantur, quod §. 19. dictum, scil. utrosque admitti debere ad successionem, cum simul lucem viderint, nisi loco consueto extracti, casuque ideò appareat, quis prior sit, cum primùm in manus inciderit. *Vid. Pauli Zachia Quest. Medico-Legales lib. 9. tit. 12. q. 5. 6. edit. noviss. de A. 1688.*

22. Ultimò quæritur: anne sanctum & inviolabile jus primogenituræ tolli vel quicquam in illo mutari possit per præscriptionem? Et utique affirmandum videtur: alia verò quàm præscriptio juris gentium non obtinet: quæ autem fit illa, brevibus at egregiè explicatum ab illustri D. Coccejo *in disp. de J. B. & P. in Regno Portugall. Sect. 1. Art. III. quest. 3. Scil. 1.*) si præsentis possessionis initii memoria non extet, neque appareat illam fuisse vitiosam, quæ & vera præscriptio temporis est, utpote quæ ex temporis lapsu nascitur. 2.) si extet quidem talis memoria, dominus tamen jus suum

AK
TK
278
nifer, & in notorio quidem jure quando non repetit, cum tuto repetere possit; in dubio, cum data occasione, ad recuperandum vim parare atque ita contendere desiit: quæ species ultima ex tacito consensu domini vim capit, non propriè ex lapsu temporis. Hæ ergo præscriptionum species quin in successuum causis in regnis & principatibus obtineant, non dubitandum, cum juris naturalis sint: alias enim dominiorum summa incertitudo foret, quod naturæ intentioni repugnat, quæ cuique jus suum salvum tutumque esse voluit. Uti verò per immemorabile tempus non solum tempus 100. annorum aut longius jure naturæ intelligitur, sed cujus non extat memoria, quod 50. annis quandoque fieri potest, quandoque nec centum sufficerent, ut memoria initii possessionis penitus aboleatur: ita sufficit ad tollendum jus primogenituræ, non constare quod tempore vigere defuerit, quamvis quondam obtinuisse, ex annalibus deduci possit. Idem est, si populus & primogeniti sæpius scientes in divisionem regnorum principatumque consenserint, cumque jus suum potuerunt repetere, non repetere per longum tempus; tale enim factum & silentium pro consensu est. Nec præjudicium fit posteritati & nascituris, quia illi jus quæsitum non habent antè quam nascuntur; in illud enim demum jus succedunt, quod inveniunt, nec unanimi natorum agnatorum consensu vel saltim tacito mutatum est.

23. Et hæc sufficiant pro explicanda immutabilitate juris primogenituræ. Fateor, multis allegationibus & exemplis ex historia præcipue ornari potuisse præsentem materiam, at qui semper succinctam in explicando jure quodam brevitate magni æstimo, in hac quoque Dissertatione eam, quæ fieri potuit, brevitate ut rem deducerem, operam dedi; Interim quæ necessaria ad demonstrandam inviolabilitatem juris tam momentosi ac præcipui fuere, sufficienter diducta esse mihi videntur.

F I N I S.



Magni Nominis
VIRIS Illustr

IS, SUMME REVER
EXCELLENTIS

NO
COCCEJO, B

ssimi Electoris Bran-
que ab Aulæ Elect. Consiliis,
in Illustri Academia Viadrina
effori Primario.

is Electoralis Palatini
ori & in Academia Heidel-
lect. & Jur. Gent.
inario.



VIRIS
De amplissimis his & alis offi
atronis & Doctoribus su
& Obsequii cultu profes
Dissertationem hanc devotæ & obse
Submisse offert

Christianus Ludovic

